

objeci considerati non *materialiter*, nempe in se, sed *formaliter*, nempe secundum principia, ex quibus cognoscitur. Quapropter plures res una, eademque scientia continentur, si ex iisdem principiis cognoscantur, atque e contrario, una, eademque res ad diversas scientias pertinet, si ex diversis principiis consideratur. E. g., etsi unum sit obiectum cum revelatae, tum naturalis Theologiae, hae tamen diverse sunt scientiae, quia illa ex principiis revelatis, haec ex principiis lumine naturali notis procedit. Contra ea, Theologia revelata, etiam si non solum de Deo, sed etiam de homine, aliquae Dei operibus disputet, tamen una scientia est, quia de his omnibus ex principiis eiusdem generis, nempe a Deo ipso revelatis, disputat.


67. Denique aliquam scientiam, cui ceterae subsint, admittendam esse, ita demonstratur. In peculiaribus scientiis tractatur de determinatis, et peculiaribus modis entis. Atqui determinati, et particulares modi entis perfecte cognosci non possunt, nisi iam universales eius rationes cognoscantur. Ergo scientia sit oportet, quae de ente non secundum aliquam peculiarem rationem, nempe prout est huiusmodi ens, sed absolute, nempe prout est ens, disputat. Iam haec scientia dicitur *prima*, sive scientia, cui ceterae subiiciuntur; nam scientia, in qua de aliquo obiecto in universum tractatur, superior est iis, quae circa illud obiectum secundum aliquam specialem rationem versantur<sup>1</sup>. Haec scientia *prima* ea est, quae *Philosophia prima* ab Aristotele, *Metaphysica* ab eius discipulis, *Ontologia*, aut *Protologia*, aut *Theoria scientiae* a recentibus appellatur. Ex hac notione scientiae *prima*e consequitur ipsam suppeditare principia communia omnibus humanis scientiis, nam ipsa, ut s. Thomas inquit, « habet

<sup>1</sup> Scientia, quae alii superiori subiicitur, *subalternata*, atque ipsa scientia superior *subalternans* dicitur, quia illa ab ista sumit sua principia (I, q. I, a. 2 c.). Scientia, quae proprietates genericas alicuius rei expendit, scientias sibi subiectas habet, quae differentias specierum investigat; e. g., « sicut animal est species corporis, ideo scientia de animalibus est sub scientia naturali » (*In lib. I Post.*, lect. XXV). Vel scientia, quae circa aliquam proprietatem accidentalem alicuius subiecti versatur, sub ea continetur, quae idem subiectum universe pertractat; e. g., *Perspectiva*, quae rationem visualem lineae expendit, subest *Geometriae*, quae lineam, ceteraque magnitudines in universum examinat; *In lib. I Post.*, lect. XLI.

pro subiecto ens, quod est commune ad omnia<sup>2</sup>). Haec autem principia communia, secundum Aristotelem<sup>2</sup>, sunt totidem vincula, quibus speciales scientiae inter se continentur, atque ad se invicem referuntur. Ex quo fit, ut quemadmodum omnes, quotquot sunt, res, in unam universitatem, quae *mundus* dicitur, coalescent, ita cunctae scientiae uno veluti corpore continantur, quod *encyclopaedia* vocatur.

<sup>1</sup> *In lib. I Poster.*, lect. XVII.

<sup>2</sup> *Anal. Post.*, lib. I, c. 10.



## PARS TERTIA

## METHODOLOGIA

1. Logica, uti diximus, ea tradere sibi proponit, quorum ope mens nostra scientias rerum assequi valet. Iam scientiam aliquius rei assequi non possumus, nisi viam, qua nobis incedendum est, scilicet initium, unde proficiscendum, et ordinem, quo a notis ad ignota progrediendum sit, cognoscamus. Logicae igitur est hanc viam nobis commonstrare. Pars Logicae, quae nos viam ad scientiam consequendam docet, *Methodologia*, seu doctrina de *methodo* nuncupata est; vox enim μέθοδος, si in elementa, ex quibus constat, resolvatur, idem valet, ac *via ad aliquid*.

2. Cum autem mens nostra eius sit naturae, ut scientiam vel ex se, vel opitulante magistro assequatur, distinguenda est methodus *inventionis*, nempe via, qua unusquisque ad scientiam pervenit, a methodo *doctrinae*, seu via, qua scientias tradere oportet. De methodo inventionis data opera agemus, quia methodus doctrinae, uti inferius ostendemus, eamdem viam, ac methodus inventionis, terit; ac proinde sere omnia, quae de methodo inventionis dicturi sumus, in methodum docendi etiam quadrant. Itaque hanc tractationem ita partiemur. Primum ea, quae ad methodum generatim spectatam attinent, trademus; deinde diversas methodi species, rationum momentis logicis, seu ab ipsis scientiae natura petitis, expendemus, ut quanquam ex iis tum ad primas notias scientificas rerum, tum ad diversas scientias assequendas apta sit, dignoseamus; denique pauca de methodo doctrinae adiiciemus.

## CAPVT PRIMVM

## De methodo generatim spectata

## ART. I. De methodi natura, atque utilitate

3. Methodus definitur: *Ordo, quem mens nostra in comparanda sibi scientia sectatur*. Ut haec definitio probe intelligatur, il-

lud animo recolendum est, tria in qualibet methodo requiri, nempe principia, seu veritates notas, ex quibus scientia proficitur, processum, nempe ordinem, quo mens ex principiis ad illationes progredivit, et finem, qui est scientiae acquisitio. At vero notio methodi neque ex principiis, neque ex acquisitione scientiae constituitur, sed ex modo, quo a principiis ad illationes progressio fit, quia principia praecognosci debent, et veritatis cognitio ipsam methodum consequitur.

4. Iam intelligitur, quanta utilitas, immo necessitatis sit in unaquaque scientia methodum callere, atque cur in qualibet aetate nobilissimus quisque philosophus nullos in scientiis progressus sine methodo haberri posse censuerit. Per opportuna comparisonem hanc methodi necessitatem nonnulli veteres<sup>1</sup> declararunt; nempe, quemadmodum venatores, nisi certas vias, quae ad cubile ducunt, sequantur, seram numquam viderent, nec caperent; ita litterarum studiosi, nisi methodi, tamquam vias cuiusdam ad scientias assequendas, ductum sequi velint, cognitionem veritatis numquam arriperent.

## ART. II. De regulis in methodo servandis

5. Prima lex methodi praecepit, ut in veri investigatione a notis ad ignota, sive, ut dici solet, a *magis notis ad minus nota* progrediamur.

6. Ad hanc regulam intelligendam quaedam monere par est.

<sup>1</sup> Veritates *magis notae* possunt esse vel *magis notae natura sua*, sive *absolute*, vel *magis notae nobis*. Magis notae *natura sua* vocantur illae, quae in se causam continent, ex qua aliae veritates existunt; et *magis notae nobis* dicuntur illae, quae nobis inserviunt tamquam medium ad aliarum veritatum cognitionem adquirendam. Iam ex philosophis nonnulli putant illud, quod est *notius natura sua*, esse quoque *notius nobis*, et vicissim; e. g., Deus, qui est *natura magis notus*, quam res ab Eo creatae, est quoque *magis notus nobis*, quam res ab Eo creatae. Quare secundum ipsos mens nostra Deum ipsum per se, et res creatas per Deum cognoscit. Alii e contrario docent id, quod est *notius natura sua*, esse in initio nostrae cognitionis minus notum *nobis*, et vicissim; e. g., Deus, qui est *magis notus na-*

<sup>1</sup> Cf p[ro]ae ceteris Clem. Alex., Strom., lib. I, c. 2.

tura sua, quam res ab Eo creatae, est minus notus *nobis*, quam istae. Quare secundum ipsos mens nostra ad Dei notitiam non nisi ex rebus creatis pervenit. Itaque qui priorem sententiam tenent, statutam methodi legem ita interpretantur, ut ab iis, quae *notiora natura sua sunt*, investigationem veri instituendam esse contendant; qui vero aliam, ab iis, quae notiora sunt *nobis*. Haec ad regulae explanationem innuisse satis sit; quaestio nem enim dirimere ad *Idealogiam* spectat.

2º Quamplurimi Philosophi, duce Cartesio, docent notiora, ex quibus ad minus nota fit progressio, ex se perspicua esse oportere. At falso; nam id necessario locum habet in scientia prima, nempe in Metaphysica, quippe quae nullam aliam scientiam supra se habet, sed in aliis scientiis notiora, ex quibus ipsae proficiuntur, possunt esse, ut alibi diximus<sup>4</sup>, aut ea, quae per se sunt perspicua, aut ea, quae perspicuitatem ex principiis superioris scientiae assequuntur.

7. Altera lex iubet a noto ad ignotum *gradatim* progredi, ita ut singulae conclusiones ex principiis proximis eliciantur, neque ullus inter eas hiatus existat. Etenim cognitio ultimae conclusionis a cognitione omnium enunciationum, quae ei praecesserunt, pendet; quare nisi omnes enunciationes compertae nobis sint, perfectam cognitionem rei adipisci non possumus.

8. Tertia lex statuit connexionem inter omnes progressionis gradus servandam esse, ita ut in illam nulla irrepat enunciatio cum ea, quae ipsi praecedit, haud connexa. Etenim quoties inter enunciationes, ex quibus cognitio scientifica deducitur, vel una tantum cum praecedenti non colligatur, ultima conclusio ex principiis suis minime fluit, et conclusio, quae ex principiis suis non fluit, veritatem quaequitam complecti nequit.

## CAPVT II.

### De diversis speciebus methodi

#### ART. I. Diversarum methodorum notiones exponuntur

9. Methodus, qua, secundum diversas Philosophorum sententias, cognitiones scientificas rerum nobis comparare possumus, est vel *ontologica*, vel *psychologica*. Methodus *ontologica* ea di-

<sup>4</sup> P. 61 et 62.

citur, in qua initium scientiae a cognitione Dei ducendum esse statuitur. Methodus autem *psychologica* est ea, in qua initium scientiae a cognitione alicui effectus sumendum esse docetur. Ut huius celebris divisionis methodi ratio agnoscatur, memoria revocandum nobis est methodum consistere in modo, quem mens ad scientiam assequendam sectatur, atque scientiam tum obtineri, cum res per causas, quae ipsam constituant, cognoscitur. Iam nonnulli Philosophi contendunt mentem nostram frui directa, ac immediata cognitione Dei, qui est prima Causa omnium rerum, rationesque omnium in se continet, ac proinde scientia secundum ipsos a cognitione Dei proficiscitur. Alii vero docent mentem nostram ita comparatam esse, ut ad cognitionem causae nonnisi per cognitionem effectus pervenire possit, ac proinde secundum ipsos scientia a cognitione cuiusdam effectus initium sumere debet. Effectus autem, ex quibus in methodo *psychologica* scientiae initium sumitur, sunt vel res naturales, quae extra nos sunt, vel sensationes, quibus anima a rebus exterioribus afficitur, vel ipsis animae cogitationes. Quapropter methodi *psychologicae* plures species existunt, quarum praecipuae sunt *empirica*, *idealistica*, et *rationalis*<sup>5</sup>.

10. His diversis nominibus methodus appellatur ratione diversorum principiorum, ex quibus in iis mens in investigatione rerum proficiscitur. Sed, si ratio habeatur diversi modi, quo in ipsis mens procedit, methodus vel *analytica*, vel *synthetica* appellatur. Methodus *analytica* ea est, quae ab effectibus ad causas, a particularibus ad universale, a compositis ad simpliciora progreditur. *Synthetica* vero ea, quae procedit a causis ad effectus, ab universalis ad particularē, a simplicibus ad composita. E.g., Physici, si ex observatione phoenomenorum profecti, leges, secundum quas fiunt, inquirunt, methodum *analyticam* tenent, quia phoenomena effectus illarum legum sunt; sin ex legibus, secundum quas phoenomena iam nota eveniunt, profecti, nova phoenomena detegunt, methodum *syntheticam* sequuntur, quia illae leges causae phoenomenorum sunt. Methodus *synthetica* vocatur quoque methodus *compositionis*, quia effectum ex

<sup>5</sup> Methodus *psychologico-rationalis* appellari etiam solet *experimentalis*. Etsi autem voces *empirica*, et *experimentalis* idem significant, tamen usus, quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi, voluit ut his vobis diversae res significarentur.